

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies tertius et quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1866

Caput IV. Alia Miracula ad Martyrum tumbas facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72907](#)

AUCTORE
ANONYMO.
inspectante
multitudine

m

n

26 Hoc itaque consilio dato, et collaudato, illud etiam eidem fratrum collegio complacuit, ut, scrinio in monasterium relato, et super altare locato, communis cordis et oris, nec non campanarum consonantia, divina ab eis laudaretur prudentia, quae nihil facit, nisi in magna, ut par est, sapientia. Ad hanc ergo laudem Dei ex tota civitate cuiuslibet ordinis et aetatis viri, ac feminæ, juvenes, et virginines, senes cum junioribus hilariter convenientes, finita laude, in sua redierunt, Dominum de tam inauditi miraculi stupore benedicentes *m*. Contigit autem istud miraculum quinta Nonas Martii, et Sabbathum erat *n*. Hora vero nona crux ille ex osse cœpit manare, qui non ante tertiam secundæ ferie horam visus est cessare. Fama ergo hujus miraculi, longe lateque volando, plurimorum salutis facta est occasio, dum innumeri diversis languorum fatigationibus oppressi, ad hujus famam miraculi undecimque exciti, venirent ad hunc locum humiles et devoti. Cumque coram hoc positi sacramento propter peccata, quibus aliquatenus multati erant, planxissent, aquamque, ossis hujus intinctione sacramentum, sibi datum aliquatenus gustassent, non est nisi Christi fidelibus credibile, quam citissime a quacumque peste gravabantur, liberati fuissent. Si quis autem numerum et ordinem istorum a nobis curiose quiescerit, per hac verba Porphyrii sibi credit satis fieri: In numero sunt, sed non infinito.

ANNOTATA.

a Quæ solæ extant, plumbō originali derperito.
Honthemius.

b An in ipso S. Paulini monasterio?

c Fuerunt fortasse nonnulli, qui non modo Martyrum Trevirensium historiæ, prout ea legebatur in tabula, sed ipsi etiam Martyrum sanctitati obstreverunt; quorum propterea dentes, editis nempe frequentibus prodigiis, a Deo contritos fuisse, affirmat anonymus. Ut ut sit, id certe efficere non potuerunt, quin San-Pauliniani Martyres sanctius exhiberi solitam venerationem brevi sint consecuti; et quidem merito: cum non esset, cur de eorum saltem sanctitate ambigetur, eorumque cultum Udo archiepiscopus sui ipsius exemplo, ut num. 22 et cap. 4 num. 1 videre est, approbare. Quod autem mox Calendarius aut Litanias inserti non fuerint, mirum videri non debet; cum id etiam alius evenerit, quorum tamen sanctitatem et cultum Trevirenses præsules exploratum habeant. Vide dicta num. 65 et 64.

d Altudit ad illud Psalm. 5 v 8 Dentes peccatorum contrivisti.

e 1 ad Cor. 14 v 22 Itaque linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus.

f Sic admodum verosimile fit, os illud sanguinem stillans, de quo mox, fuisse ex ipsa crypta, aut terra ei proxima; facile enim potuit post iteratas basilica, quin et ipsius cryptæ restaurations, ex uno sarcophagorum dilabi. Idem alias ibidem contingisse vidimus in Commentario prævio §§ 4 et 5, utroque sub finem. *Honthemius hic: ad calcem autem § 3 citati narrat, anno 1758, dum crypta instaurabatur, confractum fuisse sarcophagum; ipsoque reparato, extractas inde reliquias. Simile quid, sed ad annum 1752, contingit, etiam memorant Gestæ Trevirorensis apud Honthemium tom. II Prod. Hist. Trev. pag. 948; nimurum, cum ruinis suis purgaretur S. Paulini ecclesia, Martyrum illic Trevirensium ossa aliquot inventa fuisse, ac inter cetera caput aliud, quibusdam crinibus conspicuum et sanguine respersum.*

g Pigmenta hic non significant fucos muliebres pro coloranda facie: sed sunt illa, a quibus dicitur pigmentarius in L. 5 § 5 ff ad Legem Cornel. de sicariis, id est, qui vendit liquores medicinales: nam iste canonicus S. Paulini subito correptæ famulae suæ suscit, ut de scrinio promeret speciem pigmentariam dolori cordis profuturam. *Honthemius.*

h Inciderat nota tempus refectionis in Quadra-

gesima post vesperas apud nos (*Trevirenses*) per- D durasse. *Idem.*

i Huius miraculo satis multi adhibebantur testes: et coœvo scriptori publice laudanti testes tam illustres, omnino credetur: ne impudentissime scripsisset arguatur rem falsam in facie totius cleri et populi, provocando ad tanta testimonia, et se exponendo publicæ convictioni. *Idem.*

k Quorūm pervernit hoc, ignoratur, neque scrinium, neque theca specierum, quæ sanguinem ossis exceperat, amplius habetur. *Idem.*

l Vide num. 128.

m *In Paulo alter Ms. nostrum S. Maximini:* Placuit etiam unanimitat ipsorum, ut scrinio in monasterio relato, communis cordis et oris, nec non campanarum consonantia divina ab eis laudaretur clementia. Ad hanc ergo laudem Dei ex civitate convenientes, laudesque Domino acclamantes, dominum lati pro tanti miraculi novitate Christum benedicentes redierunt.

n *Hic colligitur, miraculum istud contigisse anno 1072. Vide dicta num. 22 et litteram x in Annalibus ad cap. 2.*

CAPUT IV.

Alia Miracula ad Martyrum tumbas facta.

E

Ad Martyrum
tumbas peni-
tentia vincu-
lum sponte
solvitur,
a

* miraculo

b

c

d

e

f

F

* infusæ

g

h

i

l

Facta sunt præterea miracula non pauca in illa scilicet scripta, ubi sanctorum Martyrum deposita corpora. E quibus aliqua, nostræ nunc memoriae succurrentia, breviter sunt designanda *a*. Ex his erat hoc primum, quod licet ad plurimas Sanctorum contingat memorias, nolumus tamen in his quoque miraculis locum ei negare, quem divinæ pietatis ordinatio ei dignata est accommodare. Nam cum Dominus archiepiscopus, post auditam de ossis miraculi * famam, primum in illud sancti Paulini monasterium orationis causa venisset, venit cum eo quidam de partibus Aquitanie *b* penitens, cuius brachium dextrum ferro fuit ligatum *c*: hic itaque cum domino antistite fossam illam, ne dicam criptam, quæ nondum ibi fuerat *d*, intravit, ac, facta oratione, ibi surgens de loco, ubi humus jacentis oravit, sarcofaga singula, in quibus corpora Sanctorum quiescebant, singillatim ea salutando *e*, iustravit. Quo facto, cum discussurus a monasterio, fossam egressus fuisse, et quasi licentiam Sanctorum petitur, in summo ejusdem fossæ margine, versus ad Sanctorum corpora, constitisset, idipsum ferramentum, quod brachium eius dextrum diuturna sui positione jam debilitaverat, et non solum carnem, sed etiam nervos et ossa ejusdem brachii denudaverat, in illo, quo firmius erat, loco discinditur, saltuque mirabilis in altum facto, velut omnibus, qui in monasterio erant, divinæ pietatis magnificentiam, et Sanctorum, quorum hoc meritis accedit, apud divinam potentiam hoc monstrando, super unum sarcophagum satis longe remotum cum clangore cecidit non minimo: ille vero miser non minore impetu ad terram supinus cecidit, quam ferrum saliens aeris altitudinem petuit: ubi tandem examinis jacuit, donec tandem, gustu aquæ ori ejus ab accessu episcopi hominibus infusus * recreatus surrexit, et ab hoc peccati vinculo liberatus, Deum in Sanctis suis magnificum benedicendo recessit *f*.

g Post haec in die Palmarum *g*, quæ tunc erat proxima, quedam femina, quæ cum linguae officio, auditu aurium fuerat destituta, marito ejus ducente eam, votumque pro liberatione illius in sanctorum Martyrum corporali presentia, nec non in cleri atque populi non modica consistentia, faciente, officio restituta est utroque *h*. Est autem consuetudo loci illius congregationum, ut in die Palmarum in id ipsum sancti Paulini monasterium ad laudem Dei omnes cum magna populorum multitudine omni conveniant *i*. Cum ergo juxta hunc ritum eadem die maximus et clerus et popu-

lus

- A lus illuc convenissent, et consuetudinarias ibi laudes Domino dixissent, adducta est in medium mulier ista, testis beneficiorum ibi divinitus sibi collatorum, pro quibus beneficiis Dei turba multa, qua ad diem festum, ut dictum est, convenerat, speciales Deo laudes et gratiarum actiones communiter reddebat.
- B 29 Postea quanto Kalendas Maii k, qua die iuxta indicum Ebkeri Archiepiscopi plurimae circa manentium villarum turbæ cum crucibus Treviro solent venire, et monasteria illius civitatis omnia circuire, delatus est a parentibus puer quidam parvus in monasterium saepe predicti patris Paulini, quod amodo Sanctorum quoque Martyrum non immerito potest vocari: perdiditer autem puer idem et usum loquendi, et brachii dextri aliquatenus movendi. Cum ergo, in criptam sanctorum Martyrum deductus, sarcofaga ipsorum deosculatus fuisse, cepit parentes desuetis diu propter linguae vinculum verbis compellare; et quia usum brachii quoque movendi recuperit, levata ex aliquo sarcofago candela, non distulit monstrare. Erat vero eadem hora Dominus Archiepiscopus cum omnibus loci illius Canoniconum congregatiibus in eodem monasterio orationis deditus officio. In cuius præsentiam puer ille delatus, sanitatem recepisse ad ipsius episcopi interrogationem est probatus l.
- C 50 Deinde, non multo temporis interjecto spatio apportatur illuc quedam puella, que, dum in aliquo tempore operi vacaret textrino, ita subito percussa est morbo paralitico, ut nec brachia, nec crura, in statu continere posset proprio: hanc itaque mirabili motu membrorum palpitante juxta Sanctorum sarcophagum vidimus locam m: ubi dum, matre caput illius in gremio sua retinente, patre vero brachia et crura illius vix comprimente, parumper obdormisset; factum est per Dei miserationem, et Sanctorum, ad quorum memoriam jacuit, intercessionem, ut post paululum evigilans de somno, toto corpore surget sano, et basibus pedum, nervisque brachiorum statu reparatis nativo, recederet inde, pro restitutione salutis sue Deum laudando.
- D 51 Huic miraculo illud successit in ordine proximo, quod quidam rusticus de villa, que dicitur sanctæ Aldegundis n, oriundus, cui visus oculorum omnino defecerat, cum suo presbytero o, civiumque suorum numero non modico, eodem deductus est. Presbyter vero idem, assumptis secum duobus in loco illo fratribus, deduxit eoscum illum in locum, Sanctorum corporibus consecratum, ubique eum fecit unum denarium, censu annuali Sanctis illis persolvendum, super unum vadare p sarcophagum: deposito itaque ad præsens ibi uno denario, dum alii recedentibus, ipse in lacrymis et orationibus aliquamdiu imbi moraretur, seque, si illuminatus foret, deinceps correctiorem vitam ducturum, alicui ex illo loco Priori, sibi de salute animas colloquenti, profiteretur; copit inter colloquendū dicere: videor quasi per pannum videre, deinde paulatim in visu melioratus, recessit inde sequenti die pleniter illuminatus.
- E 52 Deinde alius quidam villanus de villa, que vulgo Inda q vocatur, cum ex diuturna infirmitate totum corpus ita inflatum haberet, ut nec ipse, ne quis eum ita moribundum conspiciens aliquamdiu eum supervicturum putaret, auditu miraculorum fama, que de istorum memoria Sanctorum longe lateque processerat, se eodem deduci expatabat: quo perveniens; cum, facta ibi peccatorum poenitutine, et de vita rectitudine voto, ad propriam recipisset, utcumque factum est, ut in paucissimorum spacio dierum subsidente totius cutis tumore, ab omni etiam liberatus sit corporis languore r.
- F ANNOTATA.
- G a Miracula nonnulla, quæ silentio hic præterit anonymous, dedi § 40 a num. 142.
- H b Gallia provincia, olim Aquitaine, nunc, corrupto nomine, Guienne Gallis dicta.
- I c Similia Acta Sanctorum legentibus passim occurunt.
- J d Quid sibi volunt verba hæc: Fossam illam, ne dicam criptam, que nondum ibi fuerat? non inventiuntur in Ms. nostro: itaque pro incepte intrusis hæbo.
- K e Addit Ms. nostrum; seu osculando.
- L f Non est presumendum, quod scriptor rursum effronti calamo scripsisset falsum miraculum, tamquam factum in conspectu ipsiusmet archiepiscopi Udonis Honthemi.
- M g Incidit anno 1072 Pascha in diem octavum Aprilis; atque adeo dies Palmarum in Calendas Aprilis.
- N h Hoc tertium quoque miraculum, in conspectu multitudinis contingens fidem meretur suam. Honthemi.
- O i Desiit ista pridem: solebant olim ecclesiae Gallicane in die Palmarum occurrere cum clero et populo in aliqua basilica suburbicaria, et inde procedere ad cathedralem, ad significandum Betphage, de quo Iesu solemnem conductu intravit Solymam, de quo Grancolas Comment. Hist. in Brev. Romanum lib. n, cap. 55. Hodie totus clerus, etiam canonici S. Paulini, congregatur in metropolitana, E absque ista processione suburbicaria. Idem.
- P k Legendum putat Honthemi vn Kal. Maii. Vide tamen dicta num. 140.
- Q l Iterata patratio miraculi, praesente archiepiscopo, confirmat veritatem, inquit Honthemi, addens, omnia hæc miracula in ipsa S. Paulini crypta contigisse.
- R m Hinc iterum scriptoris xtalem colligere est.
- S n Si hodieque existat, nec nomen mutavit, mihi equidem ignota est.
- T o Id est, parochio.
- U p Ad censem annum obligare.
- V q Nihilo mihi notior villa istæ, quam S. Aldagundis, nisi sit Inda, cuius Annales Fulenses ad annum 881 (lege 882) meminerunt, et una cum Prumiensi, Stabulensi et Malmundariensi monasteriis a Normannis vastatam scribunt.
- W r Sequitur in Ms. nostro hæc clausula: Benedictus sit igitur Deus, qui in Sanctis suis semper est gloriosus et mirabilis, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

APPENDIX

DE S. BONIFACIO ET SOCIS MM. FORTE F
THEBÆIS

APUD TREVIROS.

J. R.

SYLLOGE.

Sanctorum Martyrum memoria sacra, cultus, et reliquiarum translationes.

S Sanctum Bonifacium, alterum forte Thebææ legonis ducem, cum Sociis, quamquam Treviris eodem, quo S. Tyrus, die martyrum subiicit, huc ea de causa rejici, tum quod Martyrum Trevirenium Passio diu non agat, tum quod ipsi fere propria sint, quæ de illo porro dicentur. Vix quidem notus ille fuisset, nisi Medianus ejus reliquia, ut infra dicetur, fuisse aliquando reperta, ejusque memoriam auctor libelli de Successoribus S. Hildulphi, qui sub initium sæculi xi floruit, posteritati conservasset. Paucis adeo martyrologis cognitum fuisse, mirum videri nemini debet: meminit tamen illius ad diem 4 Octobris Lubecca-Coloniensis Usuardi editio his verbis: Apud Trevirorum natale sanctorum martyrum Tyrsi, ducis sacratissimæ legionis trecentorum Thebæorum, et sancti Bonifacii. Meminit et Martyrologium Medianense antiquum, a Rugiero visum: ix Calend. Octobris; Medii monasterii, Repositio corporis

SUB
DIOCLETIANO
ET
MAXIMIANO.
S. Martyris in
sacris Fastis
memoria